



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Barbara Virgo & Matyr Gandaui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

## BARBARA

*Virgo & Martyr Gandaui.*

**B**ARBARA virgo & martyr Maximino Imperatore in 4. Decē. signis fuit. Patrem habuit Dioscorum, nobilem quidem virum, at impium & idolorum cultui vel maximè deditum. Huic patri filia planè dissimilis, ab ineunte ætate mundi pulchritudinem, certumque semper ordinem admirata, hacque contemplatione summum rerum opificem vitamque colligens tandem in idolorum, quæ pater venerabatur, os conspuit, ac dixit præterea vestri similes sunt, & qui vos fingunt, & qui vos colunt. Atque ita quidem puella Barbara Spiritus sancti lumina duce progrediebatur in fide & sapientia & ætate & gratia: sed & eam filiam pater Dioscorus vnicam habuit, egregiâ formâ & morum elegantia præstantem, cui & turrim altam ædificauit, inque ea filiam inclusit. Qua in turri cum illa vitam traduceret multa interim secum pie & religiosè meditans, tandem pater impulsus à multis, iisque nobilibus viris, qui sibi illam in matrimonium dari contendebant, hoc multis verbis ei suadere conatur. At illa constanter negat se velle nubere, stultum ducens se iam cœlesti sponsō dicatam terrenas nuptias inire, quod videns pater, ab eius oculis longè peregrinari statuit, id certè sperans ut patris desiderio victa filia eius voluntati cederet. Interea priusquam abeat, iubet balneum ædificari, iniungens ut duas in eo fenestras facerent, ubi cum Barbara absente patre pro duabus tres fieri curasset, in honorē SS. Trinitatis, ac insuper labri paumentum crucis imagine ornari, pater reuersus ædificij rationem mutatam dolens furenter irascitur. Fabri culpam in filiam reiiciunt, quæ oportu-

F 3 nam

nam hanc nocte occasionem, aperte de SS. Trinitatis gloria diuinitus multa dixit, deinde pluribus verbis ad salutarem Iesu Christi fidem cohortata est patrem, qui graui filiæ oratione orator factus, ut is qui omni impietate imbutus erat, primum stricto ense vnicam filiam adgreditur: deinde nihil etiam motus quod Saxum ingens mirabiliter se patefaciens, fugienti filiæ viam aperuerat in montem usque illam persecutus, crudeliter eam tractat, eius latera pedibus, dorsum pugnis foedè percutit, crinibus raptam viâ asperâ ac difficiili trahit, ad hæc ob virginis constantiam insaniens, denique præfidi Prouinciae Martiano eam tradit, qui cum frustrâ blanditijs emollire eam se cerneret, mox nudatam neruis bubulis grauissimè coedit, dein ferreis vnguibus dilaniatæ faces accensas admouet tum & caput malleolis quibusdam pertundit, ac postremo vbera præscindit, sicque eam gladio ferri iubet. Cuius coëdis minister non aliquis alias fuit, sed pater ipse Martyris, qui & ob hoc mox fulminibus de cælo iactis comburitur. Passa est tempore Maximini, qui Alexandro successit circa 237. annum humanæ redemptionis. Piè per vniuersam Flandriæ colitur, ac singularis olim eius in D. Bauonis Monasterio frequentata fuit memoria, cum magna istic virginei Corporis pars esset. quæ nuper hereticorum furore, cum alijs quibusdam Sanctorum corporibus est sublata.

BAVO